

**Joannes Bacmeisterus, D. Med. & ... Universitatis Rostochiensis Rector. ad Exequias Solemnes Quas ... Virgini Elisabetae Bacmeisteriae, Parentes moestissimi Hoedie hora 1. Pomeridiana in aede D. Mariae sacra paratas cupiunt, frequentia numerosa cohonestas Omnes omnium Ordinum Cives Academicos velut Ad Theatrum caducitatis ... invitat : [P. P. Rostochii sub Sigillo Rectoratus XX. Novembris, Anno M. DC. LXXI.]**

Rostochii: Kilius, [1671]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746584504>


Druck Freier  Zugang





Bacmeister, J.,  
in <sup>his</sup> E. Bacmeister.

R. 1671.

31







9.

JOANNES BAC-  
MEISTERUS, D.

Med. & sup. Math. Prof. P.

Facultat. Med. Senior,

Et

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

RECTOR.

ad

EXEQUIAS SOLEMNES

Quas

*Pudicissimæ ac Pudicissimæ VIRGINI*

ELISABETÆ

BACMEISTERIÆ,

Parentes moestissimi

Hodiè horâ I. Pomeridianâ in æde D. Mariæ sacrâ

paratas cupiunt,

frequentiâ numerosâ cohonestas

Omnes omnium Ordinum CIVES ACADEMICOS

velut

Ad Theatrum caducitatis, & æternitatis incentivum

eâ quâ par est reverentiâ & humanitate invitat.

ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Universitatis Typogr.



Unebri Oratione incepti auspiciū Regi-  
minis Academici; non minus funestā Parenta-  
tione finiendus erit Rectoratus meus, & qui-  
dem insperatō. Non enim putabam, eō tristis-  
simā necessitatis me iri redactum, ut in præsenti  
indicendum ejus esset Funus, quæ mihi ex  
honoratissimo *Patruēle* instar Filix amata esset, & quidem me-  
ritō. Funus quippè fiet hodiè Virgini lectissimæ, in illâ ætate,  
in quâ maxime Vitalis esse videbatur, denatæ. Vivam qui no-  
vere, nec id ignorant, quam huic fuerit robur vali-  
dum, quantæ corporis Vires, quam color vividus, o-  
omnia vel ad centum annos duraturam vitam spondentia. Flos  
erat; At quam brevi *Flos* hic Mortis falce incisus emarcuit!  
Convertamus omnes, Senes, juvenes, in eam, quæ nunc Cada-  
ver est, corporis & animi oculos. Excutiat illa nostrum nobis  
torporem, qui, quamvis concitato ad mortem pergamus gra-  
du, & pernici cursu omnibus diebus, omnibus horis ad me-  
tam properemus; longè tamen nos ab illâ abesse arbitramur.  
Stupor certè hic est mentis nostræ magnus, nec ullo modo ex-  
cusandus. Qui cœcâ nocte navigant, & se à Terrâ, quam pro-  
pter tenebras non prospiciunt, non procul abesse sciunt, sin-  
gulis momentis intenti sunt, ne navi in littora incurrant, quâ  
fractâ, licet ipsi enatare possint, mercium quas vehunt jactu-  
ram faciunt. Et nos, quorum cymba inter spissas tenebras  
in Mundi hujus pelago agitur, quique ignorare non possumus,  
nos littori approximare, securi dormitamus, ac vix per som-  
nium

munium cogitamus, quanto cum animæ & salutis periculo, si à portu aberramus, passuri simus naufragium. Evigilemus hoc præsentī admoniti Funere. Quis non hanc à portu longissime abfuisse censuisset? Subiit eam omnium expectatione citius, & in vado constituta, nobis celestia cantat. Attendamus, quis scit, cuja navis terræ sit proximior. Onos, sive, si hæc videre non possumus, cæcos, sive, si oculos aperire nolumus ut videamus, vecordes! Similes sumus ebriosis illis, qui, cum in cœno volutantur, se in lecto suo harere, & inter plumas molles somnum capere somniant. Similes sumus phreneticis, qui, cum ne micam prudentiæ habent: omnes tamen, se prudentiâ & sapientiâ vincere delirant. Excutiamus hanc crapulam, expurgemus hanc mentis stultitiam. Vitam, id quod res est, esse æstimemus, suisque illam coloribus depictam nobis ob mentis oculos ponamus, ut mortalitatis nostræ memores, in tempore nos præparemus tum ad mortem ipsam, quâ nihil est certius, tum ad mortis horam, quâ nihil est incertiùs; Nam, *Mors & fugacem persequitur Virum, Nec parcit Imbellis juventa poplitibus. Divesne præscio natus ab inachos Nil interest, an pauper, & infimâ de gente sub dio moreris, Victima nil miserantis orci.. Omnes eodem cogimur, omnium versatur urna, serius, ocyûs.* Hæc nobis ELISABETHA nostra occinit. Quid nos de eâ? Non nisi illa, quæ de optimâ quaque rectissimè dicuntur. Si Parentes, si Educationem, si Vitam, si ex hac vita Exitum consideramus, omnia hæc faciunt, ut non nisi honestissima de illâ affirmare possimus. Indulserat enim ipsi DEUS & Parentibus & Majoribus ortum felicem. Nata quippè erat Patre Viro pl Reverendo Clarissimo & Excellentissimo Dn. M. LUCA BACMEISTERO, S. S. Theol. Professore Publ. dignissimo, ut & totius nostræ Academiæ nec non Collegii in eadem Ducalis Seniore spectatissimo, Patruale nostro Charissimo, Matre DOROTHEA SASSIA, foeminâ omnibus matrona-



ronalibus dotata virtutibus. Avos salutabat: Paternum Vi-  
rum Admodum Reverendum, Amplissimum & Excellentissi-  
mum Dn. LUCAM BACMEISTERUM, S. S. Theol. D. &  
quondam Professore Rostochiensem celeberrimum, postmo-  
dum verò Circulorum Gustroviensis & Rostochiensis Super-  
intendentem vigilantissimum: Maternum Virum Clarissimum  
& Excellentissimum Dn. M. PETRUM SASSIUM, per multos  
Annos in hac Academiâ Logices Professore optimè meritum  
itemque totius Universitatis ac Ducalis Collegii Seniore,  
venerandum. Aviam utramque Matronas à pietate & Vir-  
tutibus muliebribus commendatissimas, Paternam ELISA-  
BETHAM PAPKENIAM. Maternam EUPHROSINAM  
Hagemeisters / ex perantiquâ HAGEMEISTERORUM  
Gustroviensium familiâ oriundam. Proavus Paternus ipsi  
fuit Vir de Academia & Ecclesiâ nostrâ egregie meritis DN.  
LUCAS BACMEISTERUS, S. S. Theol. D. & Prof. P. famige-  
ratissimus, nec non ad ædem D. Mariæ sacrae Pastor, & Vene-  
randi Ministerii Ecclesiastici Rostochiensis per complures an-  
nos Superintendens gravissimus, Maternus verò Vir integer-  
rimus & Spectatissimus Dn. JACOBUS Gasse / Civis olim  
hujus Urbis primarius. Proavias habuit Paternam quidem  
memorablem sexus illius speculum JOHANNAM BORDIN-  
GIAM, Nobilissimi, Excellentissimi ac Experientissimi Dn.  
JACOBI BORDINGII, Med. D. quondam Academiæ hujus  
per septennium Professoris, & primùm Illustrissimorum Du-  
cum Megapolensium DN. HENRICI PACIFICI, & DN. JO-  
ANNIS ALBERTI, deinde Potentissimorum Regum Daniæ  
CHRISTIANI III. & FRIDERICI II. Archiatri filiam. Ma-  
ternam vero Matronam magnis dotibus auctam ANNAM  
BURENIAM, incomparabilis illius Academiæ nostræ & elegan-  
tiarum literarum Instauratoris & Reformatoris DN. ARNOL-  
DI

DI BURENII, gnatam. Ex hoc tam præclaro sanguine  
creta Virgo pudicissima, mellitissima, ELISABETHA  
BACMEISTERIA, Anno dō IbcXLIV. die X. Febr. in  
hoc mundano horto plantata, Sacramentali regenera-  
tionis unda renata, irrigata, excrefcere primis annis fe-  
liciter cepit, veræ Religionis principiis imbuta, Virginali-  
bus virtutibus à teneris exculta, easdem non cerussa  
vel purpurisso, sed veræ pietatis splendore, quæ cetera-  
rum Virtutum est fundamentum, exornavit, precibus  
tùm domi tùm in officina Spiritus Sancti, vacavit, iisque se,  
Parentes jam senescentes, Fratres item atque Sorores  
DEO commendavit. Humilitati semper studuit, primam-  
que subindè originem, & unde erat, Lutum, contem-  
plans, fidei & bonorum operum stillavit latices. A Salva-  
tore & Redemptore suo CHRISTO tanquam Vite & Vi-  
tâ per totum Vitæ tempus pependit, uni illi infixâ fuit,  
infitaque velut palmes, ab hoc uno, Virorem ac florem  
traxit, nec unquam ab eo mundanis quidem deliciis &  
voluptatibus divelli potuit. Jam si commemorare mi-  
hi animus esset, quæ documenta ediderit tùm fidelitatis  
ac observantiæ erga Parentes, tum industriæ & seduli-  
tatis in expediendis negotiis œconomicis, nimis angusta  
hæc ad recensitionem istam futura esset charta. Planta  
namque hæc nobilis radicem Matrem Matronam Oe-  
conomam eximiam sapiebat, ab eadem edocta ejusdem  
mores, vitam & virtutes æmulabatur. Quam sollicitè  
Matris charissimæ, quæ jam per aliquot annos gravibus  
Morbis tentata fuit, curam indefessam gesserit, quanta  
dexteritate oneris œconomici se participem fecerit, quibusque  
consolationibus Dn. Parentis animum, curis dom-  
esticis emaceratum erexerit, vel omnes boni norunt,  
& mecum fateri vel inviti etiam coguntur, illam ex isto  
Virgi-


Virginum genere fuisse, quos *Tertullianus* valdè commen-  
dat, inque hac nostra ELISABETHA omnes Virginales  
Virtutes peculiare sibi metas esse domicilium. Hisce  
itaque velut armis munita, hisce amuletis instructa non  
diræ Mortis violentiam extimuit. Virginitatem suam.  
Sponso cœlesti dicavit, à quo uti adamata, ita & ex au-  
dita fuit. Languoribus enim Scorbuticis & Cordis anxie-  
tatibus, quæ noctes insomnes secum ducebant, illamque  
ad res œconomicas peragendas inhabilem reddebant, IV.  
hujus mensis Novembris die se sociavit Febris continua,  
acuta, adeoque vehemens, ut, adhibitis licet tam ab Excel-  
lentissimo Dn. Collega meo D. Sebastiano Wurdigio, P.P.  
quam à me ipso remediis ac medicamentis necessariis ex-  
quisitissimisque, intra octo dies Vires omnes collaberetur.  
Parentes quidem nihil eorum intermisere, quæcunque  
ad recuperandam Filix charissimæ natuque maximæ sa-  
nitatem conferre quicquam possent. Sed omnia frustra  
tenta, omnis labor vanus. Cum itaque mortem immi-  
nere animadverteret, eum non effugere sategit, nec de-  
liciis terrestribus illecta moras nexit; nec Exemplo Jep-  
thes ad Virginitatem descendam sibi inducias indulgeri  
petiit; nec Colchidos herbam aliudve Æsculapii cujus-  
dam Panchreston sibi porrigi petiit; sed, Sponso cœlesti  
copulati desiderans, animæ Medicum, Virum Maxime Re-  
verendum, Amplissimum & Excellentissimum Dn. HEN-  
RICUM MULLERUM, S.S. Theol. D & Prof. P. famige-  
ratissimum, nec non Pastorem Marianum vigilantissimum,  
utri & Superintendentem Rev. Ministerii Ecclesiastici Ro-  
stochiensis gravissimum, Collegam Fautorem ac Amicum  
nostrum honoratissimum, conjunctissimum, adscivit,  
cum eodem de contemptu Mortis ejusque aculeis retun-  
dendis mascula constantia & pietissimâ devotione con-  
tulit


tulit, Psalmos, preces & Sacrae Scripturae dicta complu-  
ra à Spiritu Sancto suggesta ingeminavit, Animam suam  
salvifico Alexipharmaco Corporis & Sanguinis CHRISTI  
refocillatam ad felicem ex hoc gurgustio exitum prope-  
rantem, optimo Viatico instructam XIII. hujus mensis  
die intra XII. & I. nocturnam placidè obdormiscens Cre-  
atori suo veluti reposcenti Creditori reddidit, & piè in  
Domino exspiravit. Parentes superstites Filiam hanc  
senectutis Scipionem, Familiae fertilem plantam fore spe-  
rabant: eandem ante tempus in ipso flore decerptam si  
acerbè lugeant, quis est nisi ἀσπυγὸς qui miretur? Qui-  
vis enim in simili Crucis Scholâ edoctus verum illud Pu-  
bhi Mimi esse intelligit; *Toties Hominem mori, quoties a-*  
*mittit suos.* Ast nemo non Christianus ex verbo DEI di-  
dicit, eâ lege Liberos nobis dari, ut pro dantis arbitrio  
& consilio reddantur, & insuper nomen Domini cum Jo-  
bo isto perpetuo laudetur. Agnoscamus & tribuamus  
necessitati, ejus quod placet voluntati: seramus alligatio-  
nem, putationem, ablaquentionem, interdum & articu-  
lationem, pampinationem, runcinationem, & abscissio-  
nem denique ipsam, sive Mortem, dummodo in Ulvis si-  
mus, & Uvae simus, unde liquor & merum in caelorum  
gaudia. Hoc nomine Virgo hæc felix, quod plurimis  
citius in portum delata. Non illi hanc felicitatem in-  
videbitis Parentes mœstissimi. Vestrum fuisset, si illa re-  
bus humanis superfuisset, illi despiciere de Marito, h. e. de  
eo, cum quo Conjugii difficultates experiretur. Pro-  
spectum est ipsi rectius. Sponso suo CHRISTO cesstit:  
huic omnibus molestiis subtracta, discedendo conjuncta  
est. Benè ipsi est, non conditionem suam præsentem,  
cum illa, quæ ante fuit, permutabit. Lugete ergo illam  
ita,


ita, ne quid in Christianas leges peccetis. Placidè cubent  
 O ELISABETHA! ossa tua. Et vos, *Cives Academici*, pie-  
 rati tantùm, caritati tantùm, reverentiæ tantùm dabitis,  
 ut in Domino defunctam Virginem supremo mortalita-  
 tis honore persecuturi, in æde Marianâ hodie ad horam  
 I. pomeridianam conveniatis, multo longoque eam ef-  
 feratis agmine. hoc est, Indictivum non tacitum Funus  
 (sic enim Romani loquebantur) habeatis, & ob defunctæ  
 Patrem totius Academiæ nostræ Seniore venerandum,  
 & ob Avitum Paterni, tum Materni Virorum de Acade-  
 mia optimè olim meritorum, memoriam, totiusque  
 amplissimæ Familiæ honorem id vos debere agnoscatis:  
 Animæ in fasciculum viventium colligate beatitatem,  
 Corpori à morte immortalitatem voveatis. Faxit DE-  
 US, ut universi & degere vitam sanctè, &  
 mori olim cum optimâ spe  
 valeamus.

P. P. Rostochii sub Sigillo Rectoratus  
 XX. Novembris, Anno M. DC. LXXI.














tulit, Psalmos, preces & Sacra Scrip-  
 ra à Spiritu Sancto suggesta ingemina-  
 salvifico Alexipharmaco Corporis &  
 refocillatam ad felicem ex hoc gurgu-  
 rantem, optimo Viatico instructam  
 die intra XII. & I. nocturnam placide  
 atori suo veluti reposcenti Creditor  
 Domino exspiravit. Parentes super  
 senectutis Scipionem, Familiæ fertile  
 rabant: eandem ante tempus in ipso  
 acerbè lugeant, quis est nisi *àgyptis*  
 vis enim in simili Crucis Scholâ edoc-  
 bli Mimi esse intelligit; *Toties Homines*  
*mittit suos.* Ast nemo non Christianu  
 dicit, eâ lege Liberos nobis dari, ut  
 & consilio reddantur, & insuper nom-  
 bo isto perpeffitio laudetur. Agnosce  
 necessitati, ejus quod placet voluntati  
 nem, putationem, ablaquentionem,  
 lationem, pampinationem, runcinat  
 nem denique ipsam, sive Mortem, du-  
 mus, & Ulvæ simus, unde liquor & m-  
 gaudia. Hoc nomine Virgo hæc fe-  
 citius in portum delata. Non illi ha-  
 videbitis Parentes mœstissimi. Vestru-  
 bus humanis superfuisset, illi despicer-  
 eo, cum quo Conjugii difficultates e-  
 spectum est ipsi rectius. Sponso suo  
 huic omnibus molestiis lubtracta, dise-  
 est. Benè ipsi est, non conditionem  
 cum illa, quæ ante fuit, permutabit.



complu-  
 suam  
 HRISTE  
 propo-  
 mensis  
 ens Cre-  
 & piè in  
 hance  
 fore spe-  
 ptam si  
 ? Qui-  
 lud Pu-  
 roties a-  
 DEI di-  
 arbitrio  
 um Jo-  
 buamus  
 ligatio-  
 articu-  
 scissio-  
 Elvis fi-  
 elorum  
 lurimis  
 em in-  
 illa re-  
 , h. e. de  
 Pro-  
 cesfit:  
 juncta  
 ntem,  
 o illam  
 ita,